

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

Meier, Gebhard Theodor

Helmstadii, 1696

§. XVII.

urn:nbn:de:bsz:31-105465

vent, juxta quam non omnes qui absque veri Dei, ve-
ræq; religionis notitia olim fuerunt demortui, censem-
tur damnandi, prout etiam revelatum esse Nobili Vir-
gini, in Epistola de Visionibus narrat D. Animadver-
tens §. 32. Verba, quæ Salvator illi dixisse fertur, hæc
sunt: Die unwissenden Völker aber verwerfe niemand
schlechter dinges / denn wer wil sie richten als ich? Und
mein Richter ist gerecht / und darum werden sie nicht
gerichtet zum ewigen Verderben / sonst wäre ich nicht
gerecht. Ex hac hypothesi possent dicere, resurrectio-
nem de quâ agit Joh. V. 28. esse supremam illam, in
quâ etiamsi fideles nulli, multi tamen alii ad vitam æ-
ternam resurgent, illi scilicet, qui infidelium vitam ci-
viliter probatam vixerint, nihil itaq; id obstare, quo
minus M. annos ante hanc resurrectionem omnes jam
resurrexerint in fide demortui, nulliq; post eam resur-
rectionem pii & fideles obierint.

§. XVII. Verum, quis non videt, Quakerianam
hanc hypothesin adeo absurdam esse, ut nihil unquam
sacris literis magis possit esse contrarium? Imo hoc i-
psum est dogma, cuius revelatione adeo turpiter se-
dedit Spiritus ille harum, quæ in memorata Epistolâ
continentur, prophetiarum autor, ut vel pueris palpa-
bile hinc esse possit, eundem nihil minus esse quam
Spiritum Christi. Quippe nunquam eo nos deducere
vel sexcentis visionibus valebunt Enthusiastæ, ut desi-
namus cum D. Petro credere, quod in nullo alio (quam
in Christo) salus sit, nec aliud nomen sub cœlo sit da-
tum inter homines, in quo nos salvari oporteat *Acto*
IV. 12. Et quid clarius est quam categorica Salvatoris
assertio: *Qui non crediderit, condemnabitur?* *Marc. XVI.*
16. Quid apertius axiomate Apostolico: *Sine fide im-
possibile est placere* (sc. Deo ut praecedentis vericuli
col-

collatio docet) Hebr. xi. 6. At quomodo Gentiles in idololatricâ religione demortui, ac veritatis Evangelicæ plane ignari, credere potuere in eum de quo nihil audiverunt? uti non immerito interrogat ipse Apostolus Rom. x. 14. à qua tamen quæstione infantes & præter eos neminem excipi debere ex aliis Scripturæ locis manifestum est, qua de re pluribus hic ut agatur, instituti ratio non admittit. Vanum igitur est, quicquid de Infidelium salute Spiritus ille fuitnugatus, unde non nisi prorsus inepte ad hoc asylum se convertent, qui præcedentium argumentorum iustum declinare conabuntur.

§. XVIII. Atque hæc de mortuorum resurrectione sufficient, ex quibus apparet, quod *una tantum & universalis ac suprema abduc mortuorum resurrectio sit expectanda*, ut adeo manifestum sit, quicquid de geminâ resurrectione corporum Chiliaстæ statuant, veritati fidei plane adversum esse Jam sequitur aliud adventus Christi adjunctum explicandum, de quo sit Assertio nona: *Adventum Christi, resurrectione mortuorum excipiet universalis destructione*, seu πανολεθρία cœli ac terræ. Hoc luculentissime prædictetur 2. Petr. III. 10. *Veniet dies Domini, tanquam fur in nocte, in quo cœli proculib[er]e, (procellæ in morem; h. e. maximo cum fragore) transibunt.* (in v. 12. parallelo dicitur πυρούμενοι λυθήσονται incensi disolvantur) & elementa effvantia liquefcent (τημένης v. 12.) sive in prima sua principia resolventur: *Terra, & opera omnia, que sunt in illâ, comburentur.* Ubi de die adventus Christi sermonem esse patet ex v. 4. Disputat enim Apostolus contra eos, quos ibi ita loquentes introducit: *Ubi est promissio adventus Ipsius?* Atq; ita in hujus diei determinatione ipsos etiam Chiliaстas